



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

33. De proprietatibus, gradibus, & fundamentis gratitudinis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

De proprietatibus, gradibus, & fundamentis gratitudinis. XXXIII.

I. **E**Xpende quas conditiones requirat perfecta gratitudo, maximè erga Deum (quæ definitur ab Alberto Magno : *Extollentia donorum Dei in anima cum annihilatione sui, & debita cordis reuerentia*; à P. Iacobo Alvarez: *Virtus, qua quis beneficia accepta agnoscit, laudat, & pro possibilitate remunerare decernit.* Nimirum 1. vt *Recta* sit, non tam beneficia quàm benefactorem ipsum respiciens, nec tam propriam vtilitatem, quàm illius laudè spectans. 2. Vt *Magna* sit, ad omnia beneficia tam minima quàm maxima se diffundens, cū intenso grati animi affectu, & inexhausto eam compensandi desiderio. 3. Vt *Constans* sit, in prosperis & aduersis eadem perseuerans. Quàm perfectè has conditiones habuerit gratitudo Sanctorum in hac virtute præcellentium. Feruor proficiendi in perfecta hac gratitudine.

Parad.
c. 26.

II. Qui sint præcipui illius gradus, videlicet hi triplices, quorum postremus perfectus, reliqui imperfecti.

1. Gratum esse pro maioribus & manifestioribus donis ac beneficijs Dei,

no-

nobis proximisq; collatis, vti creationis, redemptionis; tempore prosperitatis, pacis, consolationis; ex timore pœnæ. 2. Gratum esse etiam pro minimis beneficijs, nō tamen pro aduersitatibus ærumnisq; à Deo immisissis, vel permissis; etiam tempore aduersitatis, belli, & desolationis, sed nō absq; graui lucta; ob spem mercedis. 3. Gratum esse pro omnibus etiam quibusuis ærumnis, angustijs, afflictionibusque à Deo, ad suam, Electorumq; gloriam permissis; in quibusuis consolationū, & desolationum vicissitudinibus, cum alacritate & gaudio; intuitu solius gloriæ Dei. Quam feliciter ad hunc tam sublimem gradum conscenderunt eximij Sancti, cum D. Iob, in quibuscumq; ærumnis, persecutionibus, tormentis exclamantes: *Sit nomen Domini benedictum.* Et cum Psalmista: *Benedicam Dominum in omni tempore.* Et cum D. Paulo in tribulationibus gloriantes! Quanto sublimius supra omnes B. Virgo? & quanto interuallo supra ipsam etiam Matrem, vnigenitus eius, & æterni Patris Filius? Zelus ad hunc supremum gradum gratitudinis contendendi.

Iob. 1.

III. Quæ fundamenta sint huius perfectæ

fectæ gratitudinis erga Deum exercende. 1. Infinita Dei in beneficijs, donisque conferendis, insuper etiam in quibusvis aduersis ad bonum Electorum suorum permittendis *benignitas, liberalitas, charitas*, cui infinita debetur gratae mentis beneuolentia. 2. Ineffabilis *multitudo & magnitudo* tot donorum naturæ, gratiæ, gloriæ collatorum & conferendorum omnibus Electis ab æterno in æternum, quæ omnia infinita gratiarum actione forent compensanda. 3. Extrema hominis *vilitas & indignitas*, cui ex gratuita Dei liberalitate hæc omnia beneficia, & quidem ad finem adeò sublimem, tam largè communicantur. Quis attentè ponderans incenso non exardescat desiderio, se tanto Benefactori gratum pro viribus exhibendi? Feruor ex crebra horum fundamentorum ruminacione se ad gratitudinem exstimulandi.

De actibus Gratitudinis perfectè exercendis, & Incitamentis. XXXIV.

I. **E**Xpende quomodo perfectè queant elici gratitudinis actus interni, (qui suat I. Beneficium agnoscere,